

Bei seinem Tode war der Zustand des Klosters ein guter; mit ihm wirkte einträchtig sein Prior Bernhard von Münster. Die Klosterfamilie war nicht unbedeutend gewachsen; sie belief sich einschliesslich des Abtes auf 20 Mönche; 10 Knechte und Familiaren (*familiars cottidiani*), 6 Steinmetzen mit ihren Gehilfen und verschiedene Tagelöhner lebten in den Diensten des Klosters.

Der neue Abt Gerhardus Rees (1501—1523) wurde 1501 gewählt und bestätigt; am 18. August legte er den Amtseid der Aebte der Bursfelder Observanz ab.¹⁾ Auch er war während seiner Amtsführung eifrig bemüht, die Gebäude des Klosters zu erhalten und zu erweitern, sorgte für den Schmuck der Kirche und für die Bibliothek.²⁾ 1512 wird eine Visitation erwähnt.³⁾ Gerhard resignierte;⁴⁾ der Convent trägt Sorge für seine Bedürfnisse, sucht jedoch auch zu verhindern, dass die ihm gewährten Erleichterungen der Disciplin im Kloster schaden. Sein Nachfolger wurde Heinrich von Keppel, welcher schon am 3. October 1523 die Bestätigung von Bischof Franz (*electus et confirmatus*) erhielt. Er sah die neuen Zeiten hereinbrechen, unter deren Wirren er litt.⁵⁾

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)

Commentarium in Psalmum

»Conserva me, Domine«, qui est 15^{us} in Vulgata et LXX, 16^{us} in Biblia Hebraica.

Auctore Fr. de Sales Tiefenthal, O. S. B.

Concordant inter se psalmi 22 (21) et 16 (15) in eo quod ambo dicti sunt e persona Christi, discordant inter se in eo quod in illo loquitur Christus crucifixus, in hoc Christus vita mortali

per censuras et penas contra eos ut contumaces indubie procedemus. Jedoch entging Abt Conrad der Strafe; im Jahre 1500 wurde er »propter nimium senium et infirmitatem« als entschuldigt angesehen.

¹⁾ Urk. 256^a.

²⁾ Insuper aedificavit novum pistrinum cum infirmitario sumptuose, ut in registro de structura. Comparavit insuper candelabra preciosa de civitate Lubeck pro memoriis et exequiis servandis et pro elevatione venerabilis sacramenti . . . Ipse etiam nova stalla ad chorum fecit fieri et ordinavit ecclesiam, ambitum, capitulinum, refectorium, bibliothecam et alia multa pro commodo fratrum. Chron. p. 147; 164.

³⁾ Urkunde 268 (1512, Febr. 16); es wurde das Beneficium von Afforde aus der Sacristei an einen Altar in der Kirche verlegt.

⁴⁾ Urkunde 291: . . . propter notabilem virium destitutionem, que in ipso dietim per annos menses ac dies plurimos augetur, proveniens ex veterano incommodo singularis infirmitatis incurabiliter perseverantis . . . et ne hac occasione olim laboribus sudorosis parta disciplina (quod maximum est) deinde temporalis monasterii sui dispositio ad diminutionem labefiat, prompto ac libero animo cessit.

⁵⁾ Die Chronik p. 176 nennt ihn einen vir bonus et pius atque sacre religioni deditissimus; er starb in der Verbannung zu Rintelen 1537, Nov. 26.

defunctus. Eruitur hoc e versu 9^b et ss.: „Caro mea habitabit confidenter, quia non cedes animam meam inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Experiri me facies viam vitae“, quae verba sunt mortui. Quod etiam eruitur ex expositione partis huius psalmi facta a s. Petro in Act. 2, 24—32, praecipue ex ultimis verbis versus 26ⁱ, versibus 27, 28, 30 et 31, et a s. Paulo in Act. 13, 35—37. Petit autem hoc in psalmo Christum mortuus resuscitari. Neque ullo in alio loco resurrectio Christi tam clare praedicatur, testibus ss. Petro et Paulo in locis praecitatis.

Nimis coarctat s. Alphonsus tempus huius orationis Christi, dicens, eum iacentem in sepulchro illam fudisse: quo in casu pro **יִשְׁכֵּן** versus 9ⁱ, cum ageretur de actu iam incepto, absque dubio praeteritum positum esset uti eruimus e **שָׁמַח** eiusdem versus et e **הִסִּירָהּ** versus primi et ex **אֶמְרָתִי** versus 2ⁱ.

Neque mirum videri debet, quod Christus mortuus dicitur orasse, nam, teste Damasceno: „Etsi Christus mortuus est ut homo, et sancta eius anima ab incontaminato divisa est corpore, divinitatis tamen inseparabilis ab utrisque permansit, ab anima dice et corpore.“ In Summa Theologiae s. Th. P. 3. Qu. 50. a 3.

Finis autem psalmi est, nobis inspirare fiduciam in Deo respectu resurrectionis Christi etiam maximis in necessitatibus. Merito igitur inscribitur **מִכְתָּם**,

quod vocabulum cum radice **כָּתַם** comparatum (vid. Robertson,

Thesaur ling. s. rad. 91) nihil aliud significare potest, quam aureum **κεϊμήλιον** clynodium, habens micas auri insertas et fulgentes. Cui non obstat, quod etiam ps. 56—60 sic inscripti sunt nam cum agant de fiducia in Deo habenda etiam maximis urgentibus angustiis merito hoc nomine donati sunt.

Cum hic ergo psalmus tam praeclarus sit, recte a Patribus magnis effertur laudibus. Sic ex. g. Eusebius Caesareensis de eo scripsit: „Superfluum esset ulterius indagare ad quem referenda prophetia, postquam tanti viri (s. Petri) testimonio edocti sumus. Juxta interpretationem Septuaginta virorum, haec prophetia tituli inscriptio **στηλογραφία** (accipiebant **מִכְתָּם** pro **נִכְתָּם**) dicitur;

quod victoriam a Christo de morte, per resurrectionem ex mortuis partam, complectatur. Sicut enim athletarum in stadio decertantium splendida atque mirabiliora cum adversariis inita certamina cippo donantur, atque in bellis tropaea de hostibus ad diurnam memoriam eriguntur: ita magnum illud Servatoris tropaeum, prostrato eo qui imperium mortis habebat erectum,

iam diu a propheticis temporibus in eorum scriptis velut in cippo insculptum fuerat: quare tituli sive cippi inscriptio dicitur.“ Migne, S. gr. 23, 154. Et Euthymius Zigabenus: „In rebus itaque a se praeclare gestis Salvator statuam seu columnam hanc per linguam beati David sibi erexit: sancto nimirum Spiritu prophetam inspirante et labia eius aperiente.“ Ibid. 128, 194. — In sequentibus exhibebimus:

I. Locos, in quibus discrepant inter se textus latinus Vulgatae et textus hebraicus.

II. explicationem continuam totius psalmi. —

I.

V. 1. Jam diximus מְכַתֵּם non esse נִכְתָּם, secundum quod Vulgata habet: Tituli inscriptio ad exemplum LXX στηλογραφία vel εἰς στηλογραφίαν. Etiam Targum habet: נְלִיפָא תְרִיפָא נְלִיפָא sculptura recta. Jam meminimus interpretationis מְכַתֵּם apud Eusebium et Euthymium. Alii id intelligunt de titulo crucis. Sic ex. g. s. Augustinus scribens: „Rex noster in hoc psalmo loquitur ex persona susceptionis humanae, de quo titulus regalis tempore passionis inscriptus eminuit.“ Quod fusius explicat s. Haymo apud Migne S. l. 116, 237.

V. 2. טוֹבְתִי בְּלִעְלִיָּהּ certe non significat: Quoniam bonorum meorum non eges, sed: Bonum meum non super te id est extra te. Precans ergo dicit, se nullum bonum habere extra Deum. Quocum fere congruit s. Hieron. versio: Bene mihi non est sine te, et Symmachi: ἀγαθόν μοι οὐκ ἔστιν ἄνευ σου (M. S. gr. 23, 156). Attamen sensus veritatis hebraicae profundior et pulchrior est. Cfr. Apoc. 2, 24—25. Praepositio עַל saepe introducit id quod aliquid excedit Gen. 48, 22 et ad id accedit Gen. 31, 50 Deut. 19, 9 sive ut superius sive ut par. Precans ergo hic dicit ad Deum: Id quod est pro me bonum, non est supra te quasi ad te accedens sive ut tibi superius, sive tibi par, vel denique aliquid extra te, sed tu solus et unicus. „Tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus.“ Versio quidem Vulgatae literalis dici potest excepto quod quoniam non adest in hebraeo, sed accepit טוֹבְתִי pro plurali et aliquo ad Deum accedente, et עַלְיָהּ pro expressione indigentiae. — Quod porro attinet primam vocem versus, scil. אֲמַרְתָּ, sine dubio mutanda est in אֲמַרְתִּי, ut patet ex Vulgata, LXX et Peschito. Insuper in libris manu scriptis atque editis haud paucis, a de Rossi

enumeratis, reperitur אַמְרָתִי. Denique contextus aliam lectionem non admittit.

V. 3. Etiam in hoc versu facienda est parva mutatio in textu transferendo ׀ ante אֲדִירִי ubi sensum disturbat, ante לְקַדוּשִׁים, ubi optime versum tertium cum secundo coniungit.

Insuper pro אֲדִירִי legatur אֲדִירִי utpote melius respondens אֲדָנִי in versu 2^o. Pro versione ergo versus tertii in Vulgata ponatur sequens vel similis: Et sanctis (scil. dixi), qui in terra sunt: Hi sunt magnifici mei omnis, voluntas mea in eis, id est, eis unice delector, omnia mea voluptas in eis est. Sic versus hic exprimit relationem Salvatoris ad sanctos in terra, postquam praecedens relationem eius ad Deum expresserat. Versio Vulgatae, ad exemplum LXX facta, obscurissima est.

V. 4. Hic versus sic vertatur: Illi qui multiplicant poenas suas, idolum permutarunt, non libabo libamina eorum ex sanguine, et non sumam nomina eorum super labia mea. — Duae primae sententiae huius versus sunt nominativus absolutus, et non quidem grammaticae, attamen logice relativae, ad quas posteriora suffixa referuntur. Interpretes Vulgatae legerunt יִרְבוּ pro יִרְבוּ et ideo verterunt multiplicatae sunt. Pro infirmitates Vulgatae habetur in Hebraico עֲצָבוֹת (cum Dagesch pielico a עֲצָבָת) poenae, dolores tormenta. Vulgata ipsa vertit hoc vocabulum 147, 3 contritiones, Job 9, 28 operā, Prov. autem 10, 10 dolorem. אָחַר omne illud est quod homo praeter verum Deum sibi Deum facit; ergo idolum (s. Hier. idola); sensus ergo eius universalior est quam אֱלֹהִים אַחֲרַי, et de industria positum est אָחַר, quia crassa idololatria in nullo psalmo memoratur Quia autem numeri singularis est, suffixa pluralia sequentia ad illud se referre non possunt. Quoad eius sensum cfr. Isai. 42, 8. 48, 11. Qui confecerunt Vulgatam legerunt אָחַר et propterea postea verterunt. — מְהָרוּ autem non derivatur a מָהַר vel מָהַר festinare (accelerare?) cfr. Neh. 2, 6., sed a מָהַר (pro quo Jer. 2, 11 habet הִמְיִר) commutare, permutare, forsitan cum sensu secundario captandae sibi benevolentiae modo eorum qui quaerunt sibi uxorem, nam מָחַר verbum est quod significat uxorem sibi acquirere solvendo eius patri pretium petitum Exod. 22, 15. — אָסִיד fut. hiphil a נָסַד non est congregabo, ut habet Vulgata, sed libabo, nam

verbum **נִסַּךְ** est sacrificiale notatque effusionem libaminis in honorem vel veri Dei (ut Num. 15, 5. II. Sam. 23, 16. IV. Reg. 16, 13 et alibi), vel falsi (ut Jer. 7, 18. 19, 13. 32, 29 etc.). Item **נִסְכֵיהֶם** non est conventicula, sed libamina eorum, ut patet

— **וְכַל-אֲשָׁמָא** non est: nec memor ero, sed: et non sumam. — **עַל** non est: per, sed: super.

V. 5. **אַתָּה תֹמֵךְ גִּזְרֵי** non est: tu es qui restitues haereditatem meam mihi, sed: tu es conservator sortis meae. **תֹמֵךְ** est forma participialis, uti ex. g. etiam **פָּלִיט** profugus, **סִבִּיב** IV. Reg. 8, 21., a verbo **תָּמַךְ** = **כָּמַךְ** firmare, fulcire, cfr. 17, 5. 63, 9. — **גִּזְרֵי** proprie lapillus per metonymiam est sors, quae lapillis olim ducebatur Lev. 16, 8. Num. 33, 54. Designat etiam rem per sortem obtingentem Jud. 1, 3. Ps. 125, 3. Prov. 1, 14.

V. 6. **נְעִימִים** est pluraletenus significans: gaudia, loca amoenissima: potius vertendum esset: in locis amoenissimis, quam: in praeclaris. Quod hic de Deo dictum est, qui amoenissima habitatio precantis est, et qui ipse in precante habitat. Quae sequuntur vertantur: etiam possessio vel haereditas praeclara vel splendida facta est mihi. **אֵה** est exclamatio: quin etiam **נִחְלַתְּ** pro **נִחְלַתִּי** nonnullis videtur aequivalere **נִחְלַתִּי**, secundum quod Vulgata habet: haereditas mea, alii statui emphatico in chaldaeo = haec haereditas. De hac haereditate precans dicit **אֵלֵי שְׂפָרָה עָלַי**, quod valet de pulchritudine in eo reflexa.

V. 7. **יַעֲצֵנִי** non est: tribuit mihi intellectum, sed: consilium dat mihi (cfr. Exod. 18, 19), nam valet de omni tempore. — **אֵה-לַיְלֹת** non est: insuper et usque ad noctem, sed: etiam noctibus. — **יִסְרוּנִי** non est increpauerunt me, sed: excitant, admonent, exhortantur me vel aliquid simile, cum hic **יִסַּר** adhibitum sit de positiva ethica admonitione, sicut Isai. 8. 11 de negativa. Renes precantis, qui ut sedes beati sensus possessionis Jehovah supponuntur, eum cohortantur, ut Deo tanti amoris digno ex intimo corde gratias agat.

V. 8. שִׁוִּיתִי non est providebam, sed: apte et ex aequo posui vel pono, scil. Dominum coram me. בֶּל est non, non ne.

V. 9. Verba שָׂמַח et וַיִּגַּל pro nobis sunt praesentia, describentia quod factum est, fit et fiet. כְּבוֹדִי est gloria, non lingua mea, לְבָטַח secure, confidenter, sicut 4, 9. שָׁכַן habitare.

V. 10. הִוְדִיעַנִי vertatur: experiri me facies, nam הִוְדִיעַ significat notitiam alicui communicare, quae non tantum eius intellectum, sed totam existentiam afficit. אֶרֶץ via, semita. שָׂבַע satietas. Vulgata pro eo habet adimplebis. —

II.

Supponere possumus, Christum orationem huius psalmi fuisse ad Deum statim cum expirasset, in qua 1^o amat, 2^o abhorret, 3^o benedicit, 4^o sperat.

Dicit ergo Christus primo, se amare Deum et bonos in terra, verbis:

V. 1. Conserva me, Deus (El), quia spero in te.

V. 2. Dico Jehovahae: Dominus meus (Adonai) es¹) tu, Bonum meum non est¹) super te.

V. 3. Et Sanctis qui in terra sunt (dico):

Isti sunt magnifici mei, omnis voluntas mea fertur¹) in eos. Accuratius inspiciamus singula. In

Versu 1^o verbis: conserva me, petit Christus Deum, ut conservet corpus suum, non permittendo ut corrumpatur putredine, et illud resuscitando. De qua petitione bene Eusebius Caesar. adnotavit: „Eadem prorsus ratione (sicut in Evangelio) in hoc quoque psalmo conservari se, postulat, dum tamen a se ipso conservatur. At enim ut homo rogat, ac utpote Deus postulata concedit, assentiente scilicet et cooperante Patre.“ M. S. gr. 23, 155. Item optime dicit s. Thomas: „Si in Christo esset tantum voluntas divina; nullo modo competeret ei orare, sed secundum quod est (Christus) homo et humanam voluntatem habens, competit ei orare.“ S. Th. 3. Qu. 21 ad 1. Qua in oratione convenientissime vocat Christus Deum אֱלֹהִים Omnipotentem, quia eius est resuscitare mortuum. Confirmat orationem suam dicendo, se totum in ipsum recepisse nec habere aliquid aliud adiutorium. „Quo facilius eius rei sequeretur effectus, sperasse se dicit semper in Domino.“ Cassiodor. M. S. l. 70 112. — Affert Orans.

¹) Intelligentiae causa positum.

Versu secundo duo argumenta fiduciae suae in Deo, asserens, 1^o eum esse Dominum suum; 2^o se nullum bonum nosse supra eum vel extra eum, quo coniunctio eius intima cum Deo exprimitur.

Ad verbum *Dixi* bene adnotavit Cassiodorus: „Dixit, non labiis, sed cordis affectu; unde sancta conscientia loquebatur. Deus meus es tu, a forma servi Filius dicit ad Patrem, ut duas naturas in una persona Domini Salvatoris evidenter agnosceres“ etc. Ibid. Triplici autem sub respectu nomen Dei אֱלֹהֵי hic attentionem

meretur: 1^o quia designat omnipotentem gubernatorem rerum. De rebus autem Christum respicientibus bene dicit s. Thomas: „Omnia, quae circa humanitatem Christi acta sunt, divina dispositione gesta creduntur.“ S. Th. P. 3. Qu. 21 ad 1. Consulantur etiam ibid. Qu. 18 et Qu. 19. — 2^o quia ut numeri pluralis innuit Trinitatem. — 3^o quia pro nomen possessivum hic retinet vim, quam alias in hoc nomine omittit — Dixit secundo Christus, se nullum bonum habere supra et extra Deum (de quo recolas superius dicta). Juvat hic meminisse verba Domini, dicentis ad Patrem suum coelestem; „Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt“. (Joh. 17, 10), et verba s. Thomae: „Operatio quae est humanae naturae in Christo, inquantum est instrumentum Divinitatis, non est alia ab operatione divinitatis“ S. Th. P. 3. Qu. 19. ad 1. De qua re consulatur tota illa quaestio. — Possunt haec verba aptissime vitae christianae applicari. De qua re meminisse iuvat verba Concilii Vaticani in Constit. de Fide cathol. cap. IV.: „Is sensus sacrorum dogmatum perpetuus est retinendus, quem semel declaravit sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine recedendum.“ Consulantur etiam Leonis XIII. litterae de sic dicto Americanismo. — Descripta relatione sua ad Deum, describit Christus in

Versu tertio relationem suam ad sanctos, qui in hac terra degunt. De quo versu videsis superius dicta. Certo Deus nulla re tanto delectatur quanto sanctificatione hominum. In hunc enim finem condit vetus testamentum, in hunc finem misit Unigenitum suum in mundum, in hunc finem conservat Ecclesiam suam usque ad finem seculorum. Quod autem amat Deus, idem amat et Christus. Patet ergo sensus huius versus. Bene autem vocantur sancti magnifici, quia ab eis et per eos Deus magnificatur. et ipsi per Deum magnificentur. Imo quid est aliud historia veteris Testamenti et Ecclesiae quam glorificatio Dei per sanctos et glorificatio Sanctorum per Deum? Bene ergo exclamat Ecclesia: Mirabilis Deus in Sanctis suis. Bene dixit Eusebius Caesareen.: „Sane Deus mirabilia facit in sanctis suis.“ (M. S. gr. 23, 155), et s. Bruno Astens.: „Mirificavit Dominus, multumque mirabiles

fecit voluntates suas in omnibus sanctis.“ (M. S. l. 164, 740.)
 Et dicamus cum Ecclesia: Gratias agimus tibi propter magnam
 gloriam tuam. Ad dictum explicandum praecipue faciunt Gen.
 18, 16—33. Eccli 44, 16—50, 21. I Macc. 2, 49— 64. Actus
 Apostolor. Hebr. 10, 19—39. 11, 1—40. Apoc. 7, 1—8. 10, 1—11,
 13. Libri Dialogorum s. Gregorii Papae, Montalembert in: Les
 Moines d'Occident chap. Les Moines et la nature v. 2. Denique
 vitae Sanctorum. Quae illustrantur et confirmantur verbis Moysis
 in Deuteron. 26, 18—19: „Jehova fecit te dicere hodie, te esse
 ei populum peculiarem (סְגֻלָּהּ res peculiaris et singulariter

chara), et observare omnia praecepta sua. Et eum te dare
 (facere) excelsiorem omnibus gentibus quas creavit, in laudem
 et nomen et gloriam, et ut sis populus sanctus
 Jehovae Deo tuo.“ Quod longius describitur ibid. 27, 1—14.

וְהֵייתָ רֶקֶל לְמַעַלְלָהּ וְלֹא תִהְיֶה לְמַטָּה Ibid. 28, 13. — Exhibito
 amore Christi, dicit psalmista secundo, quidnam Christus ab-
 horreat, verbis :

- V. 4. Illi qui multiplicant poenas suas, idolum permutarunt,
 Non libabo libamina eorum ex sanguine
 Et non sumam nomina eorum super labia mea.
 V. 5. Jehova pars haereditatis meae et calicis mei,
 Tu conservator sortis meae.
 Dicit ergo Christus.

Versu 4^o, se abominari eos, qui multiplicantes poenas pro
 bona conscientia sibi idolum commularunt (cfr. P. Joan, 5, 21),
 Pilatus scilicet gratiam Judaeorum, et principes Judaeorum,
 pertinaciam et honorem hominum. Sic interficientes Christum
 patrarunt maximum scelus, sed Deus accepit sacrificium Christi
 pro pretio redemptionis generis humani. Christus ergo iniustiae
 sanguinariae Pilati et Judaeorum minime particeps esse intendit,
 imo abhorret eorum scelus, quamvis libentissime vitam ponat
 perfecturus voluntatem Dei de salute hominum. „Baptismo habeo
 baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur!“ Luc. 12, 50.
 „Ἦσαν δὲ ἐν τῇ ὁδῷ ἀναβαίνοντες εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ ἦν προάγων
 αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐθαμβοῦντο, οἱ δὲ ἀκολουθοῦντες ἐφοβοῦντο.“
 Marc. 10, 32. Quot mala cumulaverunt sibi interfectores Christi!
 Recolantur praedictio Christi de interitu Jerusalem et historia
 interitus eiusdem civitatis et rei publicae Judaeorum, et reprobatio
 Judaeorum, de qua agit secunda pars Cantici Canticorum (a e. 5,
 2 ad 8, 14., ut videre est in commentario nostro in s. Canticum).
 Conferatur etiam Apoc. 1, 7 in commentario nostro in Apocalypsin.
 „Judaei peccaverunt non solum tanquam hominis Christi, sed
 etiam tanquam Dei crucifixoꝝ“. S. Thomas in S. Th. P. 3.

Qu. 47 ad 5. Consulatur tota Quaestio 47. Item in Breviario lectiones secundi Nocturni pro Hebdomadae sanctae feriis quinta et sexta et Sabbato sancto. —

Sed quamvis Judaei fecerint quidquid poterant ad extirpandum Christum et eius memoriam, tamen nihil profecerunt, sed e contra inimicitia eorum versa est in gloriam Christi et salutem hominum, ut dicitur

Versu quinto. Verbis: Dominus pars haereditatis meae et calicis mei, Christus dicit, humanitatem suam ita radicatum esse in Deo, ut ab eo divelli nullo modo possit. Forma constructi מִנְתַּיַּת praeter II. Paralip. 31, 4 tantum in psalmis obvenit.

מִנְתַּיַּת חֶלֶק est pars fundorum quae alicui Israëlitae obtingebat, et מִנְתַּיַּת כּוֹס pars calicis secundum dispensationem patris familias.

Tribus Levi in divisione terrae sanctae nullam partem accepit, Jehova enim erat eius חֶלֶק Num. 18, 20., et dona Jehovae

oblata eius cibus Deut. 10, 9. 18, 1. 2. At quamvis tribus Levi sic distincta esset, nihilominus totum Israël erat βασιλειον ιερατευμα Exod. 19, 6., ad quod iam קְדוּשִׁים et אֲדָרִים v. 3. alluserunt.

Sub hoc respectu quae de tribu Levi dicta sunt, de omni Israël valebat, et de omni Christiano valet et de tota Ecclesia I Petri 2, 9. Apoc. 1, 6., sed sensu multo eminentiore de Christo propter unionem hypostaticam, de qua s. Thomas: „Unitas divinae personae est maior unitas quam unitas et personae et naturae in nobis, et ideo unio incarnationis est maior quam unio animae et corporis in nobis“ S. P. 3. Qu. 2. ad 9. Propterea Deus Christi corpus resuscitabit et in statum sublimiorem elevabit.

Praeter unionem hypostaticam sunt etiam sors Christi omnes gentes et fines terrae, quae Pater ei tradidit, ut dicitur ps. 2., ad quae tuenda etiam Pater Filium adiuvat 110, 5.

Ob tam praeclaram haereditatem Christus Deo maximas agens gratias, eum benedicit sequentibus:

V. 6. Funes ceciderunt mihi in locis amoenissimis,

Quin etiam haereditas mea haec praeclara est¹⁾ mihi.

V. 7. Benedicam Jehovam qui dat mihi consilium:

Etiam noctibus exhortantur me renes mei.

V. 8. Pono Jehovam coram me semper.

Nam si¹⁾ est¹⁾ ad dexteram meam, non moveor.

Accuratius trutinemus singula.

V. 6. Funes mensurae חֲבָלִים iaciuntur Mich. 2, 5 et

¹⁾ Intelligentiae causa positum.

cadunt alicui ibi, ubi et tam longe ut ei fundus designatur, ita ut נַפְל הַכֶּל Jos. 17, 5 etiam de obtingente frundi parte dicatur.

Sors Christi sunt, ut iam diximus, unio hypostatica et orbis terrarum. De prima dicit s. Augustinus: „Invisibilis et incommutabilis veritas per spiritum animam, et per animam corpus accepit.“ In Summa Theol. s. Th. P. 3. Qu. 4. ad 2. Qui hoc magno mysterio cupit instrui, adeat Summam Theologiae s. Thomae. Circa hoc magnum mysterium versebantur definitiones sex primorum conciliorum oecumenicorum. Est hoc mysterium fundamentum nostrae salutis. Et propterea convenientissime Christus simul et pro unione hypostatica et pro conversione orbis terrarum Deum benedicit. Notetur exclamatio ex intimo eius sacratissimo corde proveniens: Quin etiam haereditas mea haec praeclara est mihi, in qua voce על se indesinenter in hanc praeclaram haereditatem speculari dicit. Continuans idem argumentum dicit Christus

Versu 7^o se benedicere Deum, qui dedit sibi consilium redimendi genus humanum, quo comprehendit omnia quae intuitu operis redemptionis fecit et faciet ad sanctificandam tum synagogam, tum Ecclesiam, tum singulos homines. Quot et quanta haec sunt, ut merito cum s. Alphonso exclamare possimus: „O excedens mensura amoris Dei, quam neque omnes angeli neque omnes homines unquam perfecte cognoscent neque exaltabunt.“ Videas Commentar. n. in Apoc. p. 113. Bene etiam ad hunc locum adnotavit s. Hilarius: „Nihil enim scit Filius, nisi quae vidit et audivit a Patre. Itaque benedicit eum, qui intelligere se fecit. Et vere hic intellectus non ex homine, sed ex Deo est. Migne S. l. 9, 895. Dicamus cum amantissimo corde Salvatoris: Fiat voluntas tua! — Hoc consilio Dei de salute hominum tantum delectatur Christus, ut reconditissima receptacula cordis eius (renes eius) eum continuo, die ac nocte, et etiam in nocte passionis et mortis, ad benedicendum Deum excitent. Nam, ut dicit

Versu 8^o cum Deum semper habeat ad dexteram, ad se defendendum, ut 110. 5. cfr. 121, 5 et 109, 31., non movetur neque diffidentia in Deum neque odio in homines, quamvis eum occidissent, sed continuat indesinenter desiderare adimpletionem perfectissimam sanctissimae voluntatis divinae. „Christus . . . secundum voluntatem quae est per medium rationis, semper idem volebat quod Deus.“ S. Thomas in S. T. P. 3. Qu. 18. ad 5. „Cum me ad impatientiam . . . provocaverunt, Dominus erat ministrans mihi vires, ne ullo modo commoverer a constantia et patientia perficiendae obedientiae.“ Inter scripta s. Bedae apud Migne S. l. 93, 561. Quod etiam valet de Christo post eius mortem usque ad resurrectionem. „Veniens in ea quae transeunt, non abstuli oculum ab eo qui

semper manet, ut in eum per temporalia peracta recurrerem, qui mihi semper a dextris est, ut stabiliter in eo permaneam.“ Walafrd. 114, 781. „Non est commotus, id est, iratus, ut in aliis fieri solet, Salvator noster in illa sua tam dura passione.“ S. Bruno Astens. 164, 741. Optime huc facit ps. 129 (128), 1—5., non autem versus optative, bene autem historice accepti. Imo, ut pergit idem Christus hic dicere

Quarto, sperat, etiam in morte, ut patet e sequentibus:

V. 9. Propterea laetatur cor meum et exultat gloria mea,

Imo caro mea habitabit confidenter.

V. 10. Nam non cedes animam meam inferno,

Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

V. 11. Experiri me facies viam vitae,

Satiетatem gaudiorum cum vultu tuo:

Delectationes in dextera tua in aeternum.

Cum sanctus Petrus in Act. 2, 25—31 adducat hunc psalmum a versu 8^o ad finem ad probandam Christi resurrectionem, merito Theodoretus Cyrensis scripsit: „Haec supervacuum est nos explanare, cum divus Petrus horum interpretationem dixerit, accepta a Patre et Filio et Spiritu Sancto revelatione.“ Migne S. gr. 80, 962—963. Nihilominus inspiciamus accuratius singula.

V. 9. לָבִיָּהּ propterea, id est, ob consilium Dei de salute

generis humani, laetatur cor Christi et exultat gloria, id est, anima eius (ut 7, 6), et caro, id est, corpus eius, habitabit securam corruptionem in sepulchro. Ad quod optime adnotavit Origenes: „Dominus Jesus Christus haec dicit.“ Migne S. gr. 12, 1215. Pulchre etiam dicit s. Joannes Chrysostomus: „Viventibus aliis hominibus, his scilicet qui egerunt strenue, arrident propria gesta; his autem pereuntibus, pereunt. Sed in Christo est totum contrarium: nam ante crucem omnia sunt moesta et infirma; ut autem crucifixus est, omnia clariora sunt facta, ut noscas non purum hominem crucifixum.“ In Summa Th. s. Thomae P. 3. Qu. 51. ad 3. — Pergit Christus loqui

Versu 10^o de dormitione sua in sepulchro dicens, Patrem non cessurum animam suam inferno, nec daturum, ut Sanctus ipsius videat, id est, experiatur corruptionem. „Ad Christum refert hoc Petrus in Actibus Apostolorum.“ Origenes, M. S. gr. 12, 1215. „Christi autem caro sola non vidit corruptionem, nec detineri potuit in inferno.“ S. Hilarius, M. S. l. 9. 89. שָׁחַת

quidem 7, 16 et ordinarie designat foveam, cum a שָׁחַת inclinatum esse veniat; sed etiam derivari potest a שָׁחַת διαφθείρειν et tunc significare διαφθορά, sicut Job 17, 14 et hic, ut testantur Petrus

Act. 2, 31 et Paulus Act. 13, 35. Nec accusari possunt hi duo apostoli, eos adaptasse hanc versionem resurrectioni Christi, cum iam diu antea extaret in versione LXX interpretum. Propterea et R. Abraham, qui citatur a Genebrardo, et Hebraei doctores שִׁחָה hic corruptionem interpretantur, ut ait R. Isaac apud eundem Genebrardum: „Non dominabitur in eum post mortem scolex aut vermis, scilicet in Sanctum tuum, Deus, nam מְסִירָה cum Jod superfluo ut dicitur in nota marginali aequat מְסִירָה et est singularis.“

Imo Deus Sanctum suum non tantum praeservabit a consequentiis mortis, sed etiam, ut dicit

Versus 11^{us} illum experiri faciet semitam vitae, id est, illum excitabit ad novam vitam. Propterea canit Ecclesia:

Ille qui clausus lapide,
Custoditur sub milite,
Triumphans pompa nobili,
Victor surgit de funere.

Insuper Deus Sanctum suum ad novam vitam resuscitatum etiam experiri faciet satietatem gaudiorum אֵת, id est, in unione (21, 7. 140, 14) cum vultu suo, et amoena (cfr. v. 6), quae tenet in dextera sua, in sempiterna secula. Quae adimpleta sunt glorificatione Christi et eius ascensione in coelum et in secula seculorum adimplentur gloria eius in coelo. Cfr. Philipp 2, 8—11. Marc. 16, 19. Cantic 8, 14. Daniel 7, 13—14. Apoc. 1, 18. 5. „At vero postea quam resurrexit et ascendit in coelum, perveniens ad dexteram, ad palmam iustitiae, ad gloriam et nobilitatem, impletur laetitia cum vultu Dei, et habet delectationes in dextris eius.“ St. Hilar. M. 9. 897. De glorificatione Christi agit s. Thomas in Summa Th. P. 3. a Qu. 53 ad 58. —

Scribebam Romae in collegio s. Anselmi in monte Aventino die 17. Februarii a. D. 1899.

Der Sykophanten-Streit. (1740.)

Von Dr. Florian Daser, Stadtkooperator in Salzburg.

(Schluss zu Heft I. 1899, S. 25—35.)

Auch gegen P. Athanas Kofler schritt der Erzbischof ein. Jener hatte in seiner am 24. Juli 1710 gehaltenen Predigt das von P. Placidus ausgeführte Thema zur Sprache gebracht und im Anschlusse die Gelehrten angegriffen. Auf Befehl des Oberhirten musste er am darauffolgenden Sonntage offen von der Kanzel aus erklären: „Niemand unter den hiesigen Bewohnern